



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

5 In Concilio Provinciali quo ordine sit sedendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

post Episcopos, omnibus aliis dignitatibus præferuntur, Felin. in c. postulasti, n. 4. vers. fallit 3. de rescript. Cassan. in catal. glo. mun. par. 4. confid. 32. & Navarr. de major. & obed. conf. 2. nu. 1. & conf. 4. nu. 2. part. I.

Abbatibus autem titulares, vel habentes usum mitræ, Commendatarios procedere debent, ut in eisdem decis. super eodem cap. 2. sess. 24. §. Commendatarij, post hos locum obtinent Dignitates, & post Dignitates, procuratores ecclesiarum cathedralium, ut ibi §. post hos. In sessionibus autem Primò Archiepiscopus, ut c. placuit, 18. dist. Secundò Episcopi, quilibet secundum tempus ordinationis suæ sedere, subscribere, & alias prærogativas habere debent, c. ult. 17. dist. c. Episcoporum, 74. dist. & facit c. qui prior, ubi etiam glos. de regul. jur. in 6. Tertio Capitulum cathedralium collegialiter incedens, vel cedens. Quarto Abbates habentes privilegium mitræ & baculii. Quinto procuratores Episcoporum absentium. Sexto procuratores Abbatum absentium. Septimò Collegiatæ. Octavò Plebani, sive Archipresbyteri. Nonò Parochi.

Quando autem Dignitates, & canonici cathedralium non collegialiter, sed singulariter incedunt, aut sedent, tunc Abbates benedicti habentes usum mitræ, & baculi illos præcedunt. Cassan. in d. par. 4. confid. 32. & Navarr. conf. 2. de major. & obed. par. 1. cum aliis supra per me allegatis in cap. 2. num. 31. Et præcedunt omnes alios Abbates Usum mitræ, & baculi non habentes. Navarr. conf. 1. n. 5. eod. tit.

Ampliatum primò d. conclusio, quòd non solum Abbates usum mitræ, & baculi habentes, canonicos, & Dignitates

collegialiter non incedentes, vel sedentes præcedant, sed etiam Abbates Commendatarij, omnesque Abbates, tam seculares, quam regulares, quia omnes, qui sunt capita ecclesiarum, in quibus habent jurisdictionem in foro contentioso, super eos, qui sunt de suo collegio, jure communi non solum habent Dignitatem, sed etiam Prælati Ecclesiæ dicuntur, ut post glos. & Abb. in cap. cum ecclesiarum, nu. 10. de off. ord. cap. statutum, de elect. in 6. Cassan. in catal. gl. mun. d. par. 4. confid. 32. & 34. tenet Navarr. conf. 4. nu. 2. & 3. de major. & obed.

Secundò ampliatur in Protonotarijs Apostolicis etiam supernumerarijs, qui sunt Prælati, & rochetum deferre possunt; quia propter canonicos, & Dignitates capitulares non collegialiter incedentes præcedunt, Cassan. in eod. catal. glo. mun. par. 4. confid. 29. cum distinctione tamen, de qua supra c. 2. nu. 35. si in habitu incedunt, aut alia sunt personæ notæ, & communiter habitæ, & reputatæ pro Protonotarijs, quia in personis notis non attenditur habitus, qui non facit monachum, glos. in cap. 2. in ver. apparuerint, in fi. 27. qu. 1. & ubi datur occasio simul sedendi, vel accedendi, etiam generales Ordinum præcedunt, Cerem. Episc. nuper editum, lib. 1. c. 25.

Exempti verò, & Abbates non omnes interesse tenentur Concilio Provinciali, sed hi duntaxat, qui de jure, vel consuetudine, interesse debent, d. cap. 2. sess. 24. Capitula tamen Ecclesiarum Cathedralium specialiter sunt invitanda, & observantiam decretorum Concilij Provincialis omnino sunt obligata. Exempti quoque in casibus, in quibus de jure com-

muni,